DE

CVNIS. INFANTVM

MAXIME NOBILIORVM

P R A E S I D E

D. GEORGIO. GOTTLOB

RICHTERO

CONSILIARIO. AVLICO. ARCHIATRO. REGIO

PROFESSORE. PRIMARIO. MEDICINAE

PRO. GRADV. DOCTORIS

PVBLICAE. DISPVTABIT

A V C T O R

M. IO. GOTTLIEB. FRIDERICI

LIPSIENSIS

GOETTINGAE

TYPIS. IO. FRIEDER. HAGERI. DIE. I. SEPT. MDCCXLV.

§. I.

Quemadmodum alia herba eſt tenera & vix ſulco eminens, alia dum conualuit molli culmo, alia dum flaueſcit & ſpica eius induruit, vt cum SENECA loquar; *a*) ſic aetas humana non niſi per lentos & ambiguos gradus ad aliquam vitae conſtantiam enititur. Leuis tempeſtas ſpem in herba ſuffocat, paruae iniuriae hominem in ortu exſtinguunt. Inter centum natos plus quam triginta ante tertium aetatis annum ex viuentium numero iterum decedere, calculus eſt IO. GRAVNTII *b*) aliorumque. Maior etiam

a) *Epiſt. 121. Op. T. II. p. 603. Ed.* GRONOV.

b) v. ei. *Anmerckungen der Todten-Zettul der Stadt Londen. p. 19. Conf.* ACT. MED. BEROL. *D. II. V. I. p. 87. it. V. III. p. 36. it. V. V. p. 78.*

etiam illa ſtrages eſſet, niſi inſtinctus amoris, qui parentum animos ſollicitat, pro tenellorum ſalute tantopere excubaret. Verum quod ignorant partim, quibus maxime praeſidiis infantilis aetas fulcienda ſit, partim curas ſuas in eos transferunt, qui rem oſcitanter ſaepe vel peruerſe agunt, hinc errorum funerumque noua etiam ſeges exſurgit. Vix igitur medicorum opera in laudabiliori argumento verſari poteſt, quam ſi illas adeo metuendas vitae inſidias a *cunis infantum, maxime nobiliorum principumque*, quibuscum integrarum regionum ſalus ſaepe periclitatur, arcere contendat. Atque haec ipſa erit pro ingenii modulo praeſentis laboris meta.

§. II.

Dum cunas infantum appello, tenerum illud aetatis ſpatium intelligo, quo cunae ſeu lectuli illi mobiles, in quibus pueri cubant, cunabula & incunabula, ſeu vincula & faſciae, quibus colligantur infantes in cunis poſiti, aliaque huc pertinentia, primam cuſtodiam offerunt, quamuis incerti termini, ſi in primis alios

alios compares cum ALCVMENAE gemellis, de quorum altero BROMIA:

neque enim quisquam colligare eum quiuit incunabulis a)

Luculentius eam hic orientis vitae conditionem designo, quae nec loquelae facultatem, nec vsum incessus, nec indigentiae suae & salutis sensum habet, & tota ab aliorum lege & arbitrio pendet. Accedunt medici ad tam tenellos plumbeis pedibus tanquam ad mysteria. Quis enim, vt HARRISII b) verba mea faciam, querulos illos vagitus & incertum proteruiae idioma exacte interpretetur? Fallit ipse pulsus ex leui caussa crebrior, & lotium in sanissimis infantibus crassum. Nec desunt tamen ex ipso infantilis corporis habitu petenda, quae intellectum dubitantis medici plenius instruunt. Norunt omnes, constantissimae veritatis esse, hominem, quo proprior origini est, plus cerebri neuorumque habere. Lucem, qua id illustret, satis affudit anatome, nec vulgares pictores ignorant.

a) PLAVT. *Amphitr. Act. V. Scen. 1.*

b) *De morb. infant. ac. p. m. 2.*

rant, quam adulti & infantilis capitis diſpar ratio ſit, ſecundum ceteras corporis partes aeſtimata. Vnde mirum non eſt, inter centenos infantes vix vnum ſine conuulſione occumbere, & hanc ob ſyſtema neruoſum, adeo tenerum & irritabile, ad leuiſſimam iniuriam oriri, quam adultior aetas vix ſentit. Nec vero minus in illa aetate notanda eſt humidiſſima temperies, quum vaſorum ſenſim occalleſcentium nunquam ſit maior numerus, nunquam mollities maior & dilatabilitas. Quodſi cum craſi illa molli, neruoſa, humida, diaetam coniungimus lacteam ſimilemque in debili corpore facile aceſcentem irritantemque, vnde morborum ex acido larga progenies; facile exiſtimem, ex his paucis, ſi vitia incrementi & externas iniurias ſimul attendimus, quid ſcitu opus ſit medico, inueniri, & inter exiguas quaeſtiones ad illos, qui infantis curam habent, confirmari.

§. III.

Primum ſtatim auxilii genus, dum ad aerem & lauacra admittitur infans, recens & ſecun-

ſecundum ordinem naturae natus, a vario erroris contagio eſt vindicandum. Habent illud plerumque nobiliores in poteſtate ſua, purum & ſalutarem aerem in idoneo & elatiori cubiculo infantibus ſuis impertiendi, quum tenuioris ſortis homines non alium aerem, quam qui ſordidum tuguriolum perflat, ſiue ruri ſiue in vrbibus, in multorum conuictu concedere poſſint. Verum priores contaminant hoc fortunae ſuae beneficium perpetuis illis artibus calefaciendi cubicula, ſuffimigiis non ſemper neruoſo generi amicis implendi, & renouando aeri aditus occludendi. Alia veterum conſuetudo erat frigidiuſculo non ſolum aeri exponendi tenellos ſed & frigida lauandi. Si auorum exemplum ſpectamus, infantulos ab vtero calentes ad flumen deferre, & de naturae vigore periculum facere, corpusque ſic roborare oportebit. Damnat inſtitutum GALENVS *a*) & dum ſuam de re illa ſententiam fert, non magis, ait, Germanis aliisque ſe ſcribere, quam vrſis, apris & leonibus. Pro lenienda

a) *De Sanit. tuend. L. I. c. 1.*

nienda auorum culpa vix illud quidem sufficiet, statim discernere eos voluisse robustiores, contemto imbecilliorum periculo, nedum illud, factum ideo esse, *a*) vt spurios cognoscerent, quos ita mergi, reliquos emergere putauerint: nam alterum temerarium, alterum quoque superstitiosum est. Quum eadem tamen STRABO *b*) de Hispanis, Celtis, Scythis, Thracibus aliisue testetur, mulieresque scribat, in ipso opere agri colendi parientes mox lauandorum infantum caussa ad al-

a) Vid. GVID. PANCIROLLI *Rer. memor. s. deperdit. P. I. Tit. de horolog. p. 197.* Hinc a NONNIO in Dionysiacis ἐληνὸς ἴβρις quasi Zelotypus, dicitur & apud CLAVDIANVM L. II. in RVFINVM haec verba occurrunt:
nascentes explorat gurgite Rhenus.

b) Vid. ei. *Geograph. L. III. Ed.* JO. WOITERS *Amstel. 1707. p. 250.* POSIDONIVS ibi ex CHARMOLAO narrat, Massiliensem feminam inter alias mulieres virosque ad fossionem conductam & partus instantis caussa ab opere digressam statim rediisse, ne mercedem amitteret, & re cognita dimissam extulisse infantem ad fonticulum, lotumque & pannis inuolutum pertulisse domum. Sic feminis Tapoiyarum apud G. MARGGRAV. *Hist. rer. natural. Brasiliens. p. 281.* hunc morem esse legimus, vt puerperae & infans mane ac vesperi frigida abluantur. Quin & ipsam politioris Italiae disciplinam & vitam ita extollit VIRGILIVS *Aeneid. L. IX. v. 603.*

Durum ab stirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus, saeuoque gelu duramus & vndis.

alueum alicuius amnis properare; non male exinde colligere poſſis, conſuetudinem pluribus gentibus probatam, haud inter tot ſuorum funera natam, ſed ex crebri experimenti ſucceſſu vt ſalutarem receptam eſſe, quamuis eam imitari mollioribus gentibus impune non ſit. Haud diffitemur, fotu caloris egere omnino tenellos, & exceſſu frigoris micantem leuiter vitae ſcintillulam facile exſtingui, quemadmodum legimus vel frigidiorem ſacri lauacri vndam exitium aliquando attuliſſe. *a*) Certum tamen non minus eſt, modicum frigus & aeris & lauacri reſpirationem debilioris etiam infantis ſaluberiter intendere, & quae in primis viis expulſione egent, ac primae morborum cauſſae ſunt, a corruptione per moram metuenda tueri, Antiquorum multi cum vino & aqua ſalſa abluebant. *b*) Atque omnino peropportunum iudicamus, ab initio ſtatim natiuitatis *c*) ſordes corporis a lympha amnii adhaereſcen-

a) *v.* FR. MAVRICEAV *C. V. O.* 422.
b) Vid. *Harmon. Gynaecior. p.* 35.
c) Cruſtam quaſi aut mucilaginem viſcidam MICH. ETTMVLLERVS vocat, ob quam cutis in prima alteraque hebdomade

ſcentes & cutem inſtar lanuginis tegentes vino tepidiusculo abluere. Id quod apud PLVTARCHVM Lacedaemonum feminae obſeruaſſe videntur, perſuaſae, ita habitu firmari infantes. *a*) Qui aquam calidam cum plerisque vnice laudant, non ſemper debilioribus, humidioribus, flatulentis, herniofis recte conſulunt. Sed diſtinguenda ſunt lauacra, quae recens natis & quae paullo poſt per progreſſum infantiae adhibentur. Vbi generatim notandum eſt, frequens lauacrum, in primis mere aquoſum, infantis corpus flaccidum & imbecille reddere, hinc vbi AVICENNA *b*) bis in die aut ter lauari voluit, id

OMNIB.

de iteratius abluenda, & vt pori melius aperiantur, ipſo adiumento ſaponis, immo addito poſt haec lixiuio communi. P. ex. L. V. de Morbis infantum C. III. Artic. 2. p. 597. Op. T. III. Ed. JAC. MANGET. Genev. 1736.

a) Vino ſcribit non aqua abluiſſe in LYCVRGO *ſuo Op. P. I. p. 49. Ed.* GVIL. XYLANDRI. Sed dum addit factum eſſe, quod mero crederent flacceſcere comitiales & morbidos, ſalubres dureſcere, elucet ſimiliter barbarum illud ingenium, quod vitam tenuem infantum, ceu patriae parum vtilem, tanto periculo exponeret. Hinc malim locum non tam de prima ablutione cum vino diluto tepidiusculo, ſed ſubſequente illa iteratiori cum frigido vino intelligere.

b) 1. f. 3. doc. 1. c. 1.

OMNIB. FERRARIVS nonniſi ſemel concedit, in quartum vsque a natali menſem, deinde idem fieri alternis diebus ad menſem ſeptimum iubet, poſtea, donec ab vbere remouetur infans, bis in hebdomade. *a*) Optimum tempus a ſomno eſt & perfecta digeſtione, ne corpus crudo alimento impleatur. Hieme omnino tutius eſt, & locum calidum eſſe & aquam calidam cum ſiccis floribus, vt roſarum, chamaemeli, ſaluiae, menthae, paullo ante ebullientem. Aeſtate & temperatior locus ſit, & aqua tepidior, florumque tinctura ſuauior. Alia pro lauacro liquida, vt aquas minerales, lac, lotium, lixiuia, reiicimus. Ceterum cautiones illas in lauando neceſſarias, vt lenis frictus lauantis manus maxime per loca concaua, ſordibus fouendis proniora, vt axillarum & inguinum oberret, ad caua aurium

a) De *arte medica infantum* L. I. p. 47. Hinc & HIERONYM. GABVCINVS *de comitiali morbo* p. 81. Ed. Ald. Venet. 1561. periculum non mediocre vocat, lacte crudo in ventriculo haerente lauari, & nutricibus imperat, id poſt longiſſimum ſomnum demum facere. Conf. ANDR. BACCIVS de thermis L. VII. c. 20. p. 401. Ed. Rom.

aurium, quae reſtagnante aquarum palude admodum laeduntur, ſollicite attendat, & totum corpus pannis calidis mollibus ſiccisque ſuauiter exſtergat, tradi ſatis ab aliis & praecipi video.

§. IIII.

Nec minus errorum & negligentiae occurrit circa faſcias infantum. Negandum non eſt, membra tam cerea ob vagi & inſtabilis ac facile aberrantis motus periculum coercenda leniter eſſe & ſuſtinenda, neue nunc rudior attactus externus, nunc obliqui procubitus paruulorum ex latere in latus, diductis ſpinae vertebris, & eneruatis cito partibus, quae in longiori tenſione ſunt, deformitatem artuum & vitia incrementi pariant, corpus aequali vinculo fulciendum eſſe. At nimiam naturae vim inferunt, qui imprudenti & arctiori conſtrictione ſuffocant vaſa cutis, ac plura gignunt circulationis incommoda. inprimis humores ad ſuperiora vrgent, dentitionis difficilis incommoda cito excitant, aliasque ſucceſſu temporis magnorum malorum cauſſas ſtabiliunt. Rident teſte Gvilielmo Piſone

SONE *a*) matres Brasiliensium ineptam nostrorum industriam in vestiendis & educandis pueris, qua aiunt perspirationem impediri, & catarrhos aliaque mala generari. Nulli sunt, ait PISO, in illa gente strabones, lusciosi, claudi aut gibbo deformati, quum tamen fasciis & linteolis recens nati nunquam inuoluantur, aut Europaeorum more ligentur. Ligant tantum teste GEORG. MARGGRAVIO recens natis in infantia crura certo fasciarum genere, *b*) quamquam & hic praeclare moneat cel. I. Z. PLATNERVS. *c*) Praeceptor eximius, varos, valgos, compernesque fieri pueros adductioribus pedum fasciis, ob marcescentia ligamenta & emotas ossium epiphyses. Speciatim ex pectore nimis constricto gibbos fieri & in tabem incidere infantes, vel ad crebros vomitus compelli & herniosos euadere, queritur FRID. HOFMANNVS. *d*) Apud excell. H. P. IVCHIVM

a) Tapacura vocant, vid. *de Medic. Brasiliens. L. I. p. 6.*

b) *l. c. p. 269.*

c) *In Diss. de Thoracibus §. 5. p. 15.*

d) De Regimine recens nat. Cap. II. §. 1. p. 472. Op. T. II.

CHIVM principem infantem a ſtrictiori faſcia hecticum euaſiſſe, & coalitum internorum viſcerum exhibuiſſe, *a*) alium apud cel. PLATNERVM in eryſipelas totius corporis incidiſſe legimus. *b*) Tam flexilis infantum mollities eſt, tam imbecillia ligamenta, tam mollis oſſium in appendicibus ſuis commiſſura, vt illa vis ipſam ſolidiorum partium compagem inuertat. Solet hic rurſus nobiliores maxime feminas (nam vulgares illa cura non tangit cum magno vitalioris prolis commodo) ille error faſcinare, vt decoram conciliaturae rectitudinem corporis tenellos mature thoracibus inuoluant, vnde ingens imbecillitas & crebra rhachitis cum aliis malis ex parte enarratis. *c*) Optime munere ſuo nutrix defungitur, quae omnia infantis membra voluens molliter & aptans ſublata ſub pannis faſcia aequaliter circumuoluit, vt ceruicis dorſi totiusque ſpinae aequalis tractus ſit, & operae rite praeſtitae ipſum infantem teſtem

a) In Diſſ. de vſu & abuſu inuolutionis & faſciationis infantum Erf. 1730.

b) l. c.

c) De qua re fuſiſſime laudatiſſimus PLATNERVS l. c.

ſtem habet, quiete nempe & ſine ploratu illa vincula ferentem. Ceterum ſub iniectu faſciarum quae OMNIB. FERRARIVS *a*) addit, ex parte ſat bona ſunt, ex parte non nimis magni momenti, vti ſunt: digitis purgare nares, oleum dulce oculis infundere, veſicam pro exitu lotii comprimere, anumque, ſi opus, immiſſo digito dilatare, ſigno crucis etiam nocturnam ac maleficam ſtrigem arcere. Suadet idem quarto menſe manus & brachia ſoluere, decimo etiam pedes, thoracem autem & ventrem non ante biennium.

§. V.

Alimentum indigentiae tenellorum congruentius nullum eſt ipſo materno lacte, quum ſub nexu nouem menſium eandem quaſi vitam cum matre infans in vtero vixerit, adeoque ſalubriter in aſſueti pabuli vſu pergat. *b*) Verum dudum eſt, quod princi-
pes

a) l. c. L. II. p. 49, 50.

b) Paucae ſunt, quae cum BLANCA matre LVDOVICI SANCTI acerbe ferunt, vel per ipſum morbum ab hoc officio

pes feminae, formae & commoditati suae litantes, ab onere alendi infantis etiam inter suffragia assentantium medicorum dispensari coeperint; quanquam vix vlla dignitas, vix vllus consensus ab eo dispenset officio, ad quod natura & fabrica corporis vocat, inflans a partu mammas, & lactis, quod saepe non sine periculo repellitur, alueos aperiens. *a*) Videas saepe, senes etiam matres felicius lactare

officio excludi. Illa nempe cum febre correpta esset, & a filiolo deinde, qui ab alterius nobilis matronae vbere interea pependerat, fastidita, rem subodorata in os filioli digitum intrusit, vt lac alienum enomeret. Vid. VARILLAS de la minoritè du S. LOVIS p. 110. & ex eo P. BAYLE Dictionaire Histor. & Crit. p. 97. T. II. n. C.

a) Concinne FAVORINVS ad puerperam senatorii ordinis scripsit: *quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse ac statim ab sese abiecisso? aluisse in vtero sanguine suo nescio quid, quod non videret; non alere nunc suo lacte, quod videat, iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem? an tu quoque, inquit, putas naturam feminis mammarum vbera quasi quosdam naeuulos venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris caussa dedisse? sic enim, quod a vobis scilicet abest, pleraeque istae prodigiosae mulieres fontem illum sanctissimum corporis, generis humani educatorem, arefacere & exstinguere cum periculo quoque auersi corruptique lactis laborant; tamquam pulchritudinis sibi insignia deuenustet.* Vid. AVL. GELLIVS. Noct. Att. L. XII. c. 1.

re iuuenibus illis nutriculis, an meretriculas dicam? In Actis Anglicis feminam pauperem LXVIII. annorum ita gemellos lactasse legimus, vt robusti, torosi & optimo sanitatis colore perfusi adolescerent. *a*) Accidit infanti, quod plantis in eodem loco, quo natae sunt, persistentibus, quum alio translatae radicibus non bene firmatis facile arescant. Quemadmodum homini cachetico per transfusum ex sano corpore sanguinem nunquam bonos humores restitues, quippe proprii corporis fabrica parandos, ita lac alienum, quamuis omni charactere sanissimum, fere semper infra illam virtutem nutriendi erit, quae est in materno. Non dicam de amore & moribus alumnorum ac propagatis cum lacte malis propensionibus, secundum illud MACROBII, valere ad fingendas corporis & animi similitudines vti vim & naturam seminis, non secus lactis quoque ingenia & proprietates. *b*) Singulare hic etiam est, quod Jo. NIC.

a) Vid. Transact. Anglic. n. 453. Obs. X.

b) *Saturnal. L. 5. c. VI. p. 472.* Edit. GRONOV. *Rapit nutricula, inquit* Jo. NIC. PECHLINUS, L. I. Obs. 46. p. 106. *blanda*

Nic. Pechlinvs notat, ne poſſe quidem feminas, ex longa ſerie non lactantium natas, lactare, vbi velint. Macrocephali apud Hippocratem *a*) arte primum faſciarum formabantur, deinde tales ſine hac arte naſcebantur, Sinenſes acuminatos pedes, quos curae primum & adſtrictioni, nunc naturae debent: ita Pechlinvs mammarum habitum obſtructis lente tubulis corruptisque in liberos propagari cenſet, ineptos ideo ad lactandum. *b*) Verum quum fieri quoque poſſit, vt matres cachecticae ſint, vlcera mammarum habeant, papillas excoriatas ac ſimilia, imo dubitare fas ſit, an ſplendidae & nobiles feminae, inter otia & delicias enutritae, ludorum, chorearum, theatrorum amantes, & ad moleſti officii ſenſum moroſae artisque praeceptis refractariae *c*) merito ad lactandum admittantur; tunc quidem mercenaria nutri-

blanda illa & ridentium infantum ora, tradit e diuerſo ingeneratque mores non matris ſed ſuos. Amore nutricis Cornelivs Scipio damnatis ad mortem militibus quibusdam ignouit, pro quorum ſalute fruſtra interceſſerat frater Scipio Africanvs.

a) *De aere, aquis locis* XXXV. p. 348. V. I. Ed. Linden.

b) l. c. p. 107.

c) Sic Bernh. Ramazzini vocat Op. Lond. 1718. p. 24.

nutricum opera damnari neutiquam poteſt. Curioſa magis ſunt, quam in vſum trahenda, quae de infantibus ab animalibus nutritis HENR. KORNMANNVS, *a*) & de nutritione infantum ſine miniſterio nutricis ephemerides Gallorum *b*) recenſent. In nutricum vero ſelectu *c*) non externa ſanitas & viuidus color, nec lactis ſalubrior character *d*) vnice attendi debent, ſed potiſſimum con-

uenien-

a) Miracul. viu. p. 47. ad 56. Conf. AELIAN. Var. hiſt. L. XII. c. 42.

b) Nempe ipſe ſenatus maior Pariſienſis anno 1680. d. 19. Aug. rem hanc quibusdam medicis & chirurgis cum binis iuratis feminis commiſerat, cum ſalubris & aequalis nutritio ob multos animi affectus aegritudines corporis & alia incommoda minus a nutrice ſperanda ſit. Inquiſiuerunt, quid chylo proximum ſit, & pro digeſtione ſua nullo fere calore egeat, parum in ventriculo ſubſiſtat, facile diſtribuatur. Cogitatum eſt de lacte animalium bene temperato, & de mammis artificialibus ex tela ſericea tenui vaſi ſtanneo accommodatis. Multa hic argute definiuit cl. du VAL.

c) IOS. VVLPINI *Op. pract. & phil. de requiſitis bonarum nutricum &c.*

d) Vt ſit guſtu & olfactu ſuaue, & ſpeciatim ratione conſiſtentiae vngui pollicis inſtillatum nec diffluat nimis tarde nec ſubito, ratione coloris ſubcaeruleum, non impenſe albicans, nec in flauedinem declinans, ratione ſaporis, nec ſalſum nec acidum, nec amaricans. Nec explorari hoc lac debet niſi aliquot horis a paſtu nutricis, & in vtrisque eius mammillis. Eſt vero, licet lac vnum videatur, omni fere hora aliud, & diuerſo gradu nutriens. Reliqua adſpernamur, vt illud

uenientia nutricis cum matre infantis, ratione aetatis, formae, temperiei, & temporis partus. Si mater iuncea eſt, talis ſit nutrix, ſi tenera, haec non ſit toroſa, ſi iuuenis, haec non ſit vetula, ſi hodie peperit, haec non ante annum. Nec grauida ſit, nec menſium fluxum rurſus experta, nec facile vltra triginta annos, ceterum pinguedinis mediocris, pectoris ampli, vberum prominentium. In hoc etiam, ſi fieri poſſit, antecellat matrem, vt bene morata ſit, vigilans, exercitata, ad leges boni regiminis attenta, non meticuloſa, libidinoſa, bilioſa, iracunda, quibus vitiis lac varie corrumpitur. Errorum circa haec ingens numerus eſt, quorum potiores attingemus. Sunt, qui robuſtioribus nutricibus ruri petitis optime exiſtiment infantes committi, qui

VITALIS DE FVRNO *de conſeru. ſanit.* Mogunt. 1531. p. 181. vbi lac nigrae mulieris melius quam albae nutrire ſtatuit. vel illud PAREI *Op. L. 23. c. 21.* eligendam eſſe, quae marem enixa ſit, rufam reiiciendam. De coloſtro illud adhuc moneo, eius a partu vſum improbe tenellis negari, & a MICH. ETTMVLLERO *Prax. L. V. c. 4. §. 3. de morb. infant.* pro cibo medicamentoſo, qui laxandi vi praeditus meconium felicius eliminet, non citra cauſſam haberi. conf. FRID. HOFFMANNVS *de regim. rec. nat. c. II. §. 3.* MICH. ANG. ANDRIOLLVS *domeſticor. auxilior.* p. 310. Tr. V. Ed. Venet. 1698. JO. DOM. SALA *de alimentis* Patau. 1628. p. 125.

qui tamen a mollibus & delicatulis parentibus nati male lac illud agreste coquunt. Nec error leuior est, quod vbera praebere ad omnem statim infantum ploratum nutrices admoneantur, quum reluctantes tenelli saepe vomitu, flatu, conuulsione, quam sibi oneri sit pabuli copia, testentur. Tanto hic rectius agrestes feminae inter domesticas operas ter vel quater lactant, *a*) nec ploratu infantum, *b*) cuius cruditas frequentior caussa quam fames est, nimis commouentur. In aulis & apud ditiores praeter vbertatem lactis, qua infanti consultum putant, etiam de nutricum nimis lauta diaeta cogitant, & meracas potitationes victumque aromaticum iis indulgent, vnde primariorum puerorum frequens languor ac strages. Ita H. BOERHAVIVS *c*) vidit ab hilari & temulenta nutrice ebrium nobilem puerum, paullo ante sanissimum, horrendas conuulsiones

a) PAVLVS, AETIVS & alii, bis tantum aut ter de die lactari volunt. Mauult ANT. SANTORELLI saepe & parum. v. *ei. de sanit. nat. L. 22. C. 4. p. 493. Ed. Neap. 1643.*

b) Ploratum clamoremque, quod pulmonem dilatet melius, nares, os, oculos expurget, calorem natiuum vegetiorem reddat, non vult inhiberi nimis A. PAREVS *Op. 23. C. 23. p. 680.*

c) *In praelect. acad. in proprias institut. c. comment. Ill.* A. HALLERI *T. V. P. II. p. 449.*

ſiones perpeſſum. Neque ſolum in nutrice lautius ſuſtentanda, ſed & medicamentis praeſeruanda peccant. Ita princeps puellus ex nutrice, cui medicamentum purgans medicus exhibuerat, auide ſugens hypercarthaſi *a*) periit. In qua re non tam nocuit vſus pharmaci, quam cito nimis ab eo aſſumto oblatum vber, quippe quod nunquam ſtatim a crudis cibis vel medicamentis ingeſtis offerri debet. Nocet aeque lac a longo nutricis ieiunio, quam proxime a paſtu, optimum vero eſt, quod poſt tres quatuorue horas probam in corpore coctionem ſubiit. Addo & illum errorem, quo nutrices opere ſuo proſpere defunctae mox natis in ea domo aliis praeficiuntur. Fuit nutrix teſte Jo. Georg. Sommero, *b*) quae nobilem puerum commode lactauit, natam hinc eius ſororem pariter lactare iuſſa, ſed ſiniſtro ſucceſſu, inter tormina, aluum obſtructam conuulſionesque. Siluit malum ad medicinam, verum nutrice lac iterum praebente recruduit. Praebuit lac aliis infantibus aeque ſini-

a) v. Herm. Boerh. *prael. in inſtit. c. Comm.* Hall. *l. c. p.* 450.

b) Miſcell. nat. Curioſ. Dec. II. Ann. 6. obſ. 7.

ſiniſtro effectu, qui non niſi ad nouam nutricem plene remiſit. Adeo nimirum pro gradu illo aetatis tenuiori lacte egent infantes, & pro hac indigentia mire differt lac puerperarum a lacte alterius nutricis annuae, quod prius purius ſit & multo ſero dilutum, ac melius detergens, poſterius craſſum, obſtruens & in coagulum procliue, adeoque recens natis admodum noxium. Illud adhuc intactum relinquere nequeo, bene conſuli paruulis protracto lactationis negotio ad vnum imo alterum annum, quod minus corruptelae obnoxius ſit vnius & ſimplicis nutrimenti vſus, inde etiam dentitio facilior & a vermibus immunitas obtineatur. Certe quamdiu primis dentibus haud alii fortiores ſuccedunt, danda non ſunt, quae maius maſticationis molimen poſtulant, firmatis autem dentibus per gradus firmiora concedi debere, inter motus ſenſim auctiores, neutiquam inficiamur. Ab initio quidem, aliquo tempore ante ablactionem merito pulmenta & alii cibi boni ſucci & facilis coctionis interponuntur. Non tam conueniunt pulmenta ex farina triticea, qualem cum lacte coctam prae-

praemanſamque nutrices ſaepius ruditer in fauces repugnantium infantum *a*) intrudunt, quam ex pane bis cocto cum aqua & ſaccharo. Carnes vero, fructus horaei & alia cruda, nec non vinoſa, quae ſtimulant nimis, & aquoſa, vt infuſum Thee, quae nimis relaxant, longe abſint.

§. VI.

Vt foetus, quamdiu in vtero manet, perpetuo quodam ſomno opprimitur, ſic vbi vtero egreſſus eſt, maxima ex parte dormit. *b*) Propterea ſomni immenſi, iudice H. MERCVRIALI *c*) ipſis minime morboſi ſunt, imo ſine hoc beneficio ſub quocunque nutricatu tabeſcunt. Poſt ablutiones, ſuctumque lactis bene infans compoſitus & nutricum aliquamdiu brachiis, deinde ipſis cunis blande agitatus

a) Quae querela eſt C. F. PAVLINI Obſ. med. phyſ. 51. cui adde ipſam, quae tenellis fraudi eſt, nutricum voracitatem. Pulchre in equ. ARISTOPH. A. II. S. II. AGONICRITVS populum male a CRITONE nutricum more paſci ait:

μασώμενος γὰρ τῷ μὲν ὀλίγον ἐντιθεὶς
αὐτὸς δ' ἐκείνου τριπλάσιον κατέσπακας.
quia vbi praemandes, in os paullum ipſi ingeris,
tu vero triplo plus quam alumnus deuoras.

b) ARISTOT. *L. V. c. 1. de gener. animal.* Id. L. IV. c. 10. infantes ſcribit ante quartum aetatis annum non ſomniare.

c) de morb. puer. L. II. cap. 9.

tus facile in illa procliuitate ad somnum quiescit, silentibus maxime externis irritationum caussis. Caueatur vero, ne concitatior & concutiens cunarum motus vertigine quodam sopiat, & hebetudines relinquat, cum moderatior simul vt species exercitationis prosit, respirationi percommoda. Accedant pro somno ciendo lenes susurri, & suauia inprimis vocis modulamina, vel vt AVSONIVS vocat, nutricum lemmata lallique somniferi modi. *a*) Si persistit in fletu infans, fasciae inspiciantur, an strictae nimis sint, vel immunditiem sordium, vel aliquid rei pungentis comprehendant, quibus saepe sublatis non suauis modo sed & longissimus somnus sequitur. Si ex caussa morbosa grauati ventriculi & corrupti lactis dolores nati irritant, prodest mellis aliquid, ore vel & clysmate accipiendi. Maxime acori, in quem degenerant assumta, in temperie tam humida, nil efficacius medetur, quam largior vsus testaceorum, quibus tempestiue adhibitis GVALT. HARRISIVS *b*) certius in tenellis demulceri dolores & vigilias compesci iudicat, quam per opiata in adultis

a) Ep. 16 ad PROB. v. 88.
b) l. c. p. 55.

ultis. Non eſt funeſtior opiatorum vis, quam in debilibus, maxime ab imperita nutricum manu nunc requies Nicolai, nunc philonium romanum ſimiliaque clanculum oblata ſaepe perpetuas fatuitates *a*) ſaepe conuulſiones mortemque pepererunt, quorum non longe arceſſenda exempla ſunt.

§. VII.

Vbiuis vero attentior oculus irritationes, quae in conuulſionem infantilem tam facile terminantur, quamuis raram noxae ſuae ſuſpicionem iniiciant, omni ſtudio & contentione arcet. Primis a natiuitate diebus fere omni cauſſae diffidendum eſt, quae vel ſolos infantum externos ſenſus grauius afficit. Quaeſiuit ARISTOTELES, cur ante ſeptimum diem plurimi puerorum conuulſione intereant? *b*) additque ideo ſeptimo nomina imponi,

a) Officiunt opiata, inquit MERCVRIALIS, corporibus, & ingenium puerorum mirifice retardant. de morb. puer. L. II. c. 9.

b) Hiſt. animal. L. VII. c. 12. Natum hinc prouerbium eſt bouis ſeptem dierum, ſi quem ſtupidum & vix hominem eſſe dicere volebant. SVIDAS diem & ſeptimum & decimum ponit, (ſub voce δεκατεύειν) quo ſimul conuiuia ſunt celebrata. Tapugarum pueri octauo demum anno circiter in hominum

poni, quod iam ſaluti eorum magis confidant. Adeo nimirum in nimio diſcrimine poſita praecedentium dierum vita pro nulla habita eſt. Huc redit, quod PLINIVS *a*) neget morem gentium eſſe, hominem prius quam genito dente cremari. IVVENALIS minorem igne rogi vocat, *b*) quod ita interpretor, illam vitae vmbram nondum communia viuentium iura mereri. Verum hic ipſe ſtatus vitae tam tenerae, a quo leuiſſima offendicula prohiberi debebant, magnum reperit, in aulis praeſertim, ſui neglectum, dum cereis luminibus & diſploſione bombardarum natales recens natorum principum celebrant, quorum

minum numerum dicuntur adſciſci, dum auriculas & labium inferius iis perforant. vid. I. C. SAGITTARII. Corp. Hiſt. Herald. Caeterum quod MACROBIVS in ſomn. Scip. L. I. c. 6. de ſepteno dierum numero hic habet, non multum veri continet. *Poſt dies ſeptem* inquit, *infans iactat reliquias vmbilici, poſt bis ſeptem incipit ad lumen viſus eius moueri, & poſt ſepties ſeptem liberè iam & papulas & totam faciem vertit.* Sic vlterius per numeros ſeptenos tanquam ſpatioſiſſimos campos non ſine ſuperſtitione excurrit.

a) Hiſt. natur. L. VII. c. XV. p. 384. T. I. Ed. HARDVIN.

b) Sat. 15. v. 138.

rum ſaepe oculos & aures e propinquo vis illa quatit. *a*) AMATVS LVSITANVS infantis meminit poſt auditum bombardae ſtrepitum apoplectici. *b*) SAM. LEDELIVS binos refert infantes ad ſonum tubarum & tympanorum inter nuptias celebratas territos conuulſosque obiiſſe. *c*) Et ſane frequentior illa noxa eſſet, niſi ipſa prouidentiae manus ſic recens natorum oculos conſtruxiſſet, vt humorem aqueum turbidum gerant, ſic aures dediſſet, vt calloſae membranae ſpecies meatus auditorii principium obturet. Ita nimirum nec luminis nec ſonorum vis libere & cum periculo irruit, ſed ad obſtacula illa frangitur, *d*) nec niſi ſenſim, vt aſſueſcant organa actioni obiectorum, pellucent oculorum humores, & cruſta aurium ſubſidit. Quem in modum etſi organis ſentiendi nobilibus mollibus-

a) Hinc H. BOERHAVIVS Chym. P. II. p. 110. commonefacit ſuos, vt contra iſtos errores, ſi in aulas olim vocentur, ſedulo vigilent.

b) Cur. med. Cent. II. cur. 22.

c) MISCELL. NAT. CVR. D. II. A. VII. Obſ. XLVI. p. 90.

d) Vide, quae circa auditum poſt KERKRINGIVM VERNEYVM, VALSALVAM, RVYSCHIVM, WINSLOVIVM, CHESELDEN, TREW habet JO. BAPT. MORGAGNVS Epiſt. Anat. V. p. 84, 87. ſequ.

libusque, verba ſunt J. B. MORGAGNII, a) multifariam proſpectum eſt, ne praemature in recens natis percellantur, & hinc quoque praecipua olfactus organi ſedes pituitarii ſinus nondum explicati ſunt; nihilominus inter has tutelas organorum accedere medici vigilantia debet, vt nihil hic impetuoſe fiat. Vbi de oculis illud adhuc moneo, non ſolum pleniori fortiorique lumini nunquam obuertendos, ſed & in motu ſuo inſtabili & in ſtrabismum facile deflectente coercendos eſſe. Bene A. PAREVS vimineum arcum pannis velatum ſubtendi voluit capiti in cunis iacentium, qui vagos puerilium oculorum motus contineat dirigatque b) Vt aequaliter agant muſculi, HIERON. CAPIVACCIVS optime infantes ab illo vitio praeſeruari putat, ſi lucerna e regione oculorum non ad latus ponitur. c) M. A. ANDRIOLLVS, ſi ſint ſtrabones oculi dextri, lumen ex ſiniſtro latere poni iubet & contra, d) ſi oculi in ſtatum

a) ib. p. 86.
b) Op. L. XXIII. c. 22. p. m. 679.
c) De aff. ocul. Cap. XLVII. p. 61.
d) De domeſt. aux. T. V. p. 320.

tum naturalem redacti, CAPIVACCII consilium sequitur. DAN. SENNERTVS *a*) picta aulaea poni iubet, quo retorquendi sunt oculi, vel hos putat laruae faciei obductae foraminibus dirigi posse.

§. VIII.

Omitto terriculamenta puerorum, laruas monstrosas & idola personatorum daemonum, quibus pueris, quasi sic intra obsequii limites continendis, pauorem imprudenter incutiunt. *b*) Videri res illa possit ad paululum adultiores pertinere, nec tamen omnino teneriores haec scena praeterit, velut de-

infan-

a) Op. T. III. P. II. C. XI.

b) Ita olim nutriculae pauorem inspirabant minis suis & narratiunculis de *Accone* macilenta strige, de *Hecate* cruris asinini & nocturnorum terrorum praeside, de *Lamia* ampli gutturis & infantes in cunis vorare solita, de *Gallone* puerperis & partibus insidiante, de *Mormone* hiante ore pendentibus cincinnis, aliisque, quae clausis ostiis & nocendi animo puerorum ingredi cubicula finguntur. Nostrates hodie inter mormolycia sua popelos mommelosque habent, albas Sybillas, choreas nympharum & inconditos quasi Lemurum sonos; quali nutrici intempestiue teneros animos perterrefacienti tenellus, si loqui quidem possit, merito acclamet, vt DAVO MYSIS:

Dii te eradicent! ita me miserum territas.

Vid. TERENT. ANDR. Act. IV. Scen. 5. v. 42. *Conf. Disp. de terric. puerorum* Praes. cel. J. M. GESNERO. Resp. I. C. L. Brüggemann Gotting. 1745.

infante ad Rupertiani phantasmatis laruam epileptico MART. SCHVRIGIVS ad C. F. GARMANNVM *a*) ſcripſit. Malo tamen illa adhuc attingere, quae ſub ſumma ſalubritatis ſpe in maximum tenellos vitae diſcrimen coniiciunt. Infauſtum cardiacorum nomen eſt, quod debiles infantes per nocentiſſimos ſtimulos interimit. Aſtute & ſingulari artificio inuentum hoc nomen eſſe ad captum ruricolarum & demulcendas mulierculas, ſententia eſt GVALT. HARRISII, *b*) quum dubia ceteroquin res ſit, morbis plures an cardiacis perierint? Aquae illae cardiacae calidiores, vt coeleſtis, mirabilis, paeoniae compoſita, ſalia lixiuioſa, volatilia, ſpiritus bezoardici, theriacalia, & alia non poſſunt niſi venena eſſe tam tenerae aetati. GALENVS ipſe, qui theriacae laudes in coelum extulit, pueros tamen eius vſu excluſit. Binae vel tres guttulae olei ſuccini, quas vetula infanti apud SENNERTVM praebuit, tantum corporis ardorem pepererunt, vt tota cuticula quaſi ad feruidam

a) MISCELL. NAT. CVR. D. III. A. IX. X. Obſ. LVI.
b) l. c. p. 62.

uidam aquam abſcedente infans paullo poſt periret. Miror MICH. ETTMVLLERVM *a*) in cura morborum infantilium ſalibus volatilibus primatum tribuere, Deorum manus haec medicamenta vocare, pauorem aliorum ridere. Imo praeter ſalia haec volatilia acriora vel aromatica, etiam tincturas chemicas, vt tartari, ſcoriarum reguli antimonii, porro myrrham, caſtoreum & alia extollit. Siue experientiam conſideres, quae hodie coepit magis illas cardiacorum noxas formidare, ſiue rationem, impoſſibile eſt, vt inter tam acres ſtimulos corpus tam tenellum, conuulſioni tam obnoxium, non ſuccumbat. Dubitat GV. HARRISIVS *b*) annon ex centum, qui variolis pereunt, nonaginta quinque cardiacis calidis inſulſe propinatis, primis morbi diebus, interficiantur, cum ſperet temperatiori regimine ex centum varioloſis pueris plus quam nonaginta quinque ſeruaturum ſe eſſe. Nec tamen his incendiis cardiacorum facile ab obfirmato errore mulieres inprimis reuocantur. Verum vt potiores hucuſque in regimine vitae errores coargui, ita adhuc morbos,

quibus-

a) Noſocom. infantil. C. III. §. 5.

b) vid. Diſſ. med. & Chirurg. p. 57-59.

quibuscum in cunis haerentes communiter aetatis caussa *a*) confligunt, succincte adhuc cum praesidiis suis commemorabo.

§. IX.

Vti primum est, quod in recens extincto infante reperitur, copia lenti & glutinosi per primas vias dispersi, & toto tempore grauiditatis ex partibus crassioribus assumtorum congesti; ita exinde nauseam vomitumque, & crescente per moram acrimonia conuulsiones in nuper natis excitari, res est confirmatae experientiae. Propterea si hunc tenelli corporis statum ex pallore & debilitate eius, phlegmate oris & tumente abdomine colligis, prompta erit medelae ratio, si ieiunium octo vel decem horarum imperes, vt vis coctionis nouis ingestis haud obruta hoc phlegma subigat. Licebit ad eandem vim, quae subigit, augendam omni quadrihorio illius ieiunii pauxillum vini cum melle offerre. Mel gluten incidit, vinum roborat & ventriculi actionem iuuat, vtrique remedio, si pauxillum syrupi cichorei cum rheo addis, promtius ad aluum semisubactam sabur-

a) Quos morbos tanquam infantum praecipuos H. BOERHAVIVS in aphorismis a §. 1340. ad 1378. pertractat.

ſaburram illam promouebis. Facere huc videtur ſuperius allatus Aſiaticarum mulierum mos, infantes ſuos aeri exponentium, quod ipſe auctior reſpirationis motus grauatum ſtomachum repurget. Nec alia deſunt externa, quae tonicam illam & expellentem virtutem leuiter intendunt, epithemata nimirum, quae panis toſtus & decocto menthae imbutus, vel aquae tantum theriacali immerſus & epigaſtricae regioni impoſitus praebet. His obeſt plerumque nutricum ſollicitudo, dum vbi ieiunio & euacuantibus opus, ad primos eiulatus vbera praebent, & vt lentum illud & glutinoſum creſcat, in debili ventriculo efficiunt.

§. X.

Sed & praecipuae labis multum a meconio natis naſcitur. Illud nouem menſibus inter vteri carceres collectum, nec egeſtum, hinc ab inteſtino coeco, ſaepe etiam ab ileo, ad anum vsque accumulatum, tam viſcidum plerumque eſt, vt vitae viribus eiici nequeat. Magna infantum pars ex hac noxa retenti corruptique meconii inter conuulſiones perit, niſi primis ſtatim diebus, aluo quater vel ſexies

au-

aufcultante, fufca illa feu atra moles exterminetur. Aer per tubum inteftinorum iam liberius admiffus, quod in vtero non accidit, celerem parit & funeftam corruptionem, quoties nec largiter exundat meconium, nec, vt par erat, colorem opii & picis tenacitatem refert. Variis hic viis ingrediendum eft, vt immunis fis ab errore in medendo. Nunc enim vis expulfionis in debili infante languet, nunc contentorum peccat craffities, nunc viarum abeft lubricitas. Aduerfus primam cauffam pugnat rheum, non modo purgans fed & roborans, hinc vix aliis quibuscunque remediis poftponendum, inprimis fi ex eodem rheo cum fapone veneto globuli fiunt, qui in anum reconditi efficacius expellunt. Adde mitia cardiaca ex aquis cerasorum foeniculi vel aliis cum melle interius adhibita. Vinces duritiem expellendae materiae, quam contrectatis hypochondriis eiulantis infantis fenties, fi ferum lactis cum melle recenti pro vfu potus & clysmatis deftines. Denique viarum lubricitatem & tranfitum per inteftina expedies, fi vitato vfu intempeftiuo adftringentium & purgantium, adeoque ipfius rhei, oleum oliuarum vel fimile mane ac ve-

ſperi ad drachmam vnam propines, iuncto ſimul clysmate ex ſero lactis, & illito ventre idoneis oleis. Ad quae tria momenta attentus medicus clamores illos, peruigilia, conuulſiones, & quae alia infeſtant ſymptomata, vt plurimum ſopiet. Vulgaris autem vſus medicinae nunc opiatis temere confligit, vt philonio romano, requie Nicolai, ſyrupo diacodii, quibus tremuli & ſemiſtulti euadunt, nunc acri ſtimulante teneros neruos plus ſollicitat, vt ſale volatili oleoſo, quo ipſa SYLVII proles occubuit. Ibi vero tutius ſymptomatum leuimen radice exciſa expectamus. Quodſi a nonnullis eorum maior inducta ſit partibus affectis mutatio, morbo hinc nouo nato & cauſſa ſublata adhuc perſiſtenti occurrendum eſt, vti in inflammatione inteſtinorum cum febre per remedia antiphlogiſtica abdomini maxime obuoluenda.

§. XI.

Frequens non minus a lacte morbus eſt, cuius pars caſeoſa facile ſecedit, vt in mortuorum infantum toto ventriculo congeſtus & quaſi vi quadam coagmentatus appareat caſeus, & tenelli non ab acido ſed hoc coagulo conuulſi moriantur. Nouimus lac recens

mi-

mitiſſimum in venam canis immiſſum ſubito coagulo per venas protruſo, poſt ſuum in pulmones ingreſſum, funeſtam parere peripneumoniam; non ſecus in ventriculo infantis quippe calente & acoris cauſſas ſuſtentante ſecedit, cum eius ſaepe exitio. Accedit coagulo huic acrimonia, qua nunquam caret paullo vetuſtior caſeus. Sedulo ſtatim ſciſcitanda eſt mater vel nutrix, an pallidus frigidusque infans vomitu caſeoſi aliquid eiiciat? an ructus & feces acidum ſpirent? Quorum ſi alterum quoque contingit, non ſubſiſtit labes in primis viis, ſed ſenſim ſanguinis vias occupat. Pro victu ſint iuſcula carnium, ad acorem vero refrenandum & coagulum ſoluendum eiiciendumque praeſtat ſaponem venetum cum vitello oui & rheo permiſcere ac ſyrupo altheae, & cum delectu puluiſculos terreſtres adiicere, omnia vero haec aqua vel meliſſae vel ſimili ad potiunculae formam accommodare. Sic ſuaui vinculo variae coaleſcunt vires pro ſcopo corrigendi euacuandique. Saepe caſſia & rheum icterum puerilem ſuſtulit, natum per interualla ex caſeoſo coagulo, fluxum bilis in inteſtina cohibente. Inter praecipua remedia efficaciſſime

ipſa bilis caſeoſum ſoluit, vt in vitulo apparet ſolum lac potante, cuius duriſſima coagula ad quartum ventriculum deſcendunt, ſed in loco adfluentis bilis ſoluuntur. Si igitur infanti vel parca vel inefficacax bilis ſit, optime frigidorum piſcium bile, vt auguillarum, in micam panis vel pultem recondita conſules, nihil facile in atrophia infantum ab obſidente latera inteſtinorum coagulo exploratioris virtutis eſt.

§. XII.

Nec vermes infantibus parcunt, non quod cum Nic. Andry vel aliis eos cum tenellis naſci exiſtimemus, neque enim vnquam reperti ſunt in infantibus ſolo lacte materno vel alio cocto victitantibus, ſed quod ouula inſectorum illos conſpergant cibos, quos cito ſatis tenellis offerunt, vti maxime ſunt fructus horaei, carnes etiam paullo vetuſtiores & alia. In iis certe infantulis, quorum vis parua eſt ad deſtruenda talia, facile adſperſa ouula excludi iudicamus, & latere ſub inerti pituita, ſatis tuta ab iniuriis attritus. Adſcenſus famelicorum vermium per vias neruoſas & ſenſibiles inſtar plumae vellicantis parit nauſeam, vomitum, pruritum narium & alia. Quum deinde ab

ab iis consumtio chyli fiat, necesse est esurire infantes continuo, pallescere, animo linqui & emaciari, solo tumente abdomine, quippe vbi absumto tenui crassa remanent pro nido vermium, in quo latent, crescunt & multiplicantur. Denique ab iisdem perforari intestina effundique contenta inter funestas conuulsiones mirum non est, quum extra corpus terram fodiant terrebrentque. Si igitur infans debilioris post vel ante ablactationem corpusculi victu tali, quem hic damnamus, vtitur, & dicta symptomata, nausea fames macies & alia sequuntur, fas est de nido non solum vermium destruendo, sed & ipsis necandis expellendisque cogitare. Pituitam, contubernium illud vermium, incidunt fortiter gummata, vt ammonicum, bdellium, opoponax & asa foetida, vitello oui & sapone veneto subacta, vel salia alcalina, vt cardui benedicti cum aqua melissae & syrupo radicum aperientium, vel mitia mercurialia, vt mercurius dulcis cum tantillo scammonii & syrupo rhei, vel aethiops mineralis cum trochiscis ahandal & similia. Quae omnia non nimis leniter agunt, hinc oculum ad infantis vires attentum & prouidam moram in lentiori vsu postulant. Mul-

ti externis potius pugnant, vnguento Agrippae vel Arthanitae, quae abdomini impoſita vim ſaepe effrenem purgandi exſerunt, vt & hic opus ſit frenum iniicere medicamento. Suauius vermes ipſi necantur per mellita ſaccharina & ſalina: in haec enim ſoluta iniecti citius quam in amariſſimis infuſis pereunt. *a*) Laudant alii vitriolica & venerea, vt vitriolum martis, vel ſyrupum violarum, qui in cupreo vaſculo per noctem haeſit, ſed haec quidem nonniſi adultioribus commendare audebis, quod etiam de duris, acutis & indigeſtibilibus, quae a ieiunis aſſumta vermes vulnerando necant, intelligo. Nec mercurialium, niſi caute vſurpentur, ſincerior fides & certior virtus eſt. Quodſi necare non ſolum ſed & expellere velis, dictis conuenit lenia purgantia addere externe inungere, & clysmata vel ſuppoſitoria ex ſale gemmae & melle parare.

§. XIII.

Reſtat dentitio difficilis a ſeptimo maxime ad decimum menſem affligens, qua dentes in primis acutiores cum funeſta ſaepe neruorum punctura erumpere

a) Hinc Franciscvs Redi dolet tenellorum ſortem, quibus dulcia, quae appetunt, negantur, amara & faſtidioſa offeruntur. in Obſ. circa animal. viu. p. m. 165.

pere ex latibulis suis nituntur. Sola hic irritatio neruorum est, quae fluxum saliuae & alui conuulsionesque ciet, & de qua sedanda, cum tantae stragis caussa sit, serio cogitandum est. Primum illud agimus, vt gingiuae polito ebore vel simili attritae exitum denti concilient, ipsius infantis ope, cui instinctum natura dedit duriuscula gingiuis cum frictu admouendi. Neque infelix opera est, quae fotu tepido gingiuas emollit, vti cremore ex floribus sambuci & altheae in lacte infusis enatante. Probatae etiam virtutis hic sunt emulsa cydoniorum semina in aqua sambuci, quibus succum sedi vel portulacae cum syrupo violarum miscere licebit. Crescente inflammationis vi & in conuulsionem erumpente venae sectionem tam seuere SYDENHAMVS imperat, vt pro specifico reliquis omnibus longe anteferendo declaret. *a*) H. BOERHAVIVS *b*) cum aliis multis huic conuulsioni minutam dosin spiritus cornu cerui opponit, cuius loco olim in Anglia Goedartianae guttulae ex crudo serico destillatae ad guttas quatuor circiter ex syrupo violarum cum insigni successu propinabantur. Verum & ipsa lanceola interdum opus est, quae foramen ad latitudinem dentis incidit, & dictos deinde fotus requirit.

XIV.

Animus non est ad alia excurrendi, id tantum moneo, infantum curam, quae si nimia sit, RIDLINO noxia dicitur, *c*) non posse sub perito & vigilante medico nimiam merito adpellari. Periucundum est cum

a) C. III. p. 199. Ed. Leyd. 1741.

b) Aphor. 1378

c) lin. med. Ann. II. Sept. Obs. 25. II p. 459.

cum GV. HARRISO obſeruare, facillime in morbos dilabi infantes, ſed & facillime, niſi aut ſerius aut imperitius tractentur, in ſanitatem reſtitui *a*) Nempe quaelibet impreſſio, ſiue bona, ſiue mala, in humido quam ſicco, in molli quam duro corpore, citius perficitur. Cum ſtupore infantes tenellos ſe vidiſſe ait THOM. SYDENHAM *b*) quartana ſex menſium affectos, nec oppreſſos, ſed de morbo illo Herculis pueri inſtar in cunis triumphantes. Formidabilis eſt, inquit LVD. DVRETVS, *c*) puerorum conuulſio, at non raro defunguntur illo periculo. Simpliciores in ſimplici victu eorum morbi ſunt, hinc & ſimpliciori medicina in craſi tam mutabili promtius ſanantur. Vix fero illam auxiliorum farraginem, qua ſub maxima inconſtantia iudicio MICH. ALBERTI *d*] obruuntur recens nati, vt plurimi ſollicitae magis quam prouidae medicationi ſuccumbant. Quae non PLINIVS olim in tenellorum vſum ex antiquorum libris cumulauit? innumera paſſim commendans, vt in vlceribus plantaginem, in lippitudine oua, in pauoribus dentem lupi, in deſtillationibus folia helioſcopii, in vitiis ventris cuminum, teſtium eryſimum aliaque. Hodie puluiſculis bezoardicis, cordialibus, pannonio, marchionis aliisve abundamus, vbi omnino cum RIDLINO agnoſcas, nimiam curam pro infantibus noxiam eſſe. Verum in his adquieſcimus.

a) l. c. p. 8.
b) l. c. p. 85.
c) v. ei. Comment. in Coac. HIPPOCR. pub. lin. 11.
d) Iuriſpr. Med. C. XVI. de autoch. med. §. 7.